Kalecki Valentini: Quaestio physica de anima in communi.

D. O. M.

QVÆSTIO PHYSICA

De Anima In Commvni.

Publice ad disputandum in Alma Academia Crac: in Lectorio D.D. THEOLOGORVM.

A

M. VALENTINO STALICKI,

PROPOSITA.

Permissu M. D. RECTORIS.

Anno Domini. M. Dc. Lxi.

CRACOVIÆ,
In Officina Viduæ LVCÆ KVPISZ, S. R. M. Typ.

In Stemma inclytæ Academiæ CRACOVIENSIS.



Munijt Herculeam quondam claua Vnica dextram
　　Defendunt Lechicam, Sceptra gemella Scholam,
Heu fuge dira licet ſpires incendia liuor
　　Suſtulit igniuomas, ſi Vnica claua feras
Certius an non tu ſperes malè ſane ruinam
　　Bina caput ferient dum furiale tibi.

Ioannes Chrapowicki,
Stud. Eloquentiæ.

Lechia tolle caput ſperes iactata ſerenum,
　　A binis Sceptris te bona multa manent.
Quæ dum Crux arcto coniungit ſplendida nexu
　　Omne id æternæ felicitatis habe.

Chriſtophorus Chrapowicki,
Stud. Eloquentiæ.

CLARISSIMIS, ADMODVM REVERENDIS

ET

EXCELLENTISSIMIS DOMINIS,

Inclytæ ac peraugustæ

DOMVS MAIORIS

PATRIBVS, DOCTORIBVS, PROFESSORIBVS,

NEC NON

Præceptoribus & Promotoribus Fauentissimis

S. & P.

NON artificiosum Dædali opus, aut admirandam Polycleti structuram, sed ingeniosam Stagyritæ omnium ore decantatissimi telam, quàm mirifico suo & fæcundo artis Magisterio in Variis Voluminibus ceu in officinis contexuit, nimirum lucubrationem hanc Vobis Clarissima Orbis Academici lumina dico atq; consecro. Cui enim conuenientius & aptius dedicarem præter Vos, habui neminem. Bene siquidem Anima cum Anima conuenit. Quidni ego Vos Animam Regni appellem! vt pote quorum Spiritu totum Ecclesiæ & Regni corpus animatur. Quot namq; sunt Europæi orbis membra animata, tot se Spiritu Vestro viuere, Vita nimirum literarum viuificari recognoscant est necesse. Animam iam pridem egisset Ecclesiæ Salus & Regni integritas vel magna ex parte Viribus exhausta fuisset, non aliter quam

ille fabulosus & famescens Menennij Agrippæ ventriculus, nisi habuisset à quo alimentum, spiritum & vigorem mentis hausisset. Neq; hic spiritus angusta aliqua loci parte coarctatur, sed otij impatiens per vniuersum regni corpus latissime ita diffunditur vt nullus tam remotus locus, nulla regio tam dissita, nulla Ciuitas tam infelix inueniatur quæ non ab illius vigore vberrime fœcundetur & fœcundata gloriosissimos non parturiat fœtus. Si cuius aures peregrinantur vbiq; circumspiciat & mentis atq; ocluorum acie perlustret tyaras Pontificum, ornamenta Prælatorum, exedras Doctorum, conuentus Ordinum, palatia Regum aulas Principum, rostra Iudicum, subsellia Senatorum, castra Militum, curias Ciuium omnes & singuli vnanimi consensu de hoc Spiritu se vigorem mentis ad vsum publicum & communem vtilitatem hausisse, palam & libere fatentur, recognoscunt. Eximi de gratorum numero vt potè memor institutionis quâ priuatim, quâ publicè instillatæ & animatæ doctrinæ nec possum nec debeo. Atq; ideo illud inter cætera in votis habeo vt quâm diutissime hæc vita literarum viuat, viuet autem in sera posteritate in multas annorum myriades, & quamdiu splendidissimus mundi Ocellus inferiores Orbis partes illuminare non desinet, tamdiu suo influxu capaces magnarum virtutum animos ad inuidiam cæterorum imprægnare seu imber terram cum propagatione diuinæ laudis & accessione omnis felicitatis pro virili contendet. Atq; dum ego talia ad tremenda altaria Vota reddo, Vos P. P. amplissimi, & libertatis Academicæ vindices acerrimi hanc promptissimam animi mei submissionem & tesseram, hanc de anima non bene animata compagem, Vestris beneuolentiæ & fauoris fomentis animare & fouere non dedignemini maiorem in modum oro atq; obsecro.

Clarissimarum & Adm R. R. P. Vestrarum

exorator

addictissimus

M. VALENTINVS STALICKI.

QVÆSTIO PHYSICA.

De Anima In Commvni.

V. Anima conſtituens corpus animatum per informationem, rectè diuidatur in Vegetatiuam, Senſitiuam, & Rationalem; ſitq; realiter diſtincta à ſuis potentijs, & vna in quolibet viuente: necne?

CONCLVSIO I.

Anima conſtituit corpus animatum per informationem.

COROLLARIA.

I. Anima eſſentialiter eſt actus primus corporis Phyſici, organici, potentia vitam habentis.

II. Hæc definitio conuenit omni Animæ etiam Rationali vt intellectiua eſt.

III. De-

III. *Descriptiue vero, Anima est id quo viuimus, mouemur, sentimus & intelligimus primo.*

IV. *Anima non est temperamentum Qualitatum.*

V. *Neq; est actus assistens, sed vere informans secundum quemcunq; gradum sibi identificatum.*

CONCLVSIO II.

Anima recte diuiditur in Vegetatiuam, Sensitiuā & intellectiuam.

COROLLARIA.

I. *Ista diuisio est Generis in suas Species subalternas.*

II. *Gradus tamen viuentium sunt quatuor Vegetatiuum, Sensitiuum, Locomotiuum & Intellectiuum.*

III. *Appetitiuum non constituit gradum distinctum animatorum.*

IV. *Anima Rationalis secundum rationes suas quasi Genericas continet formaliter Vegetatiuam & Sensitiuam.*

V. *Anima per hoc differt à formis inanimatorum quod sit principium operandi eleuatum supra materiam.*

CONCLVSIO III.

Anima distinguitur realiter à suis potentijs.

COROLLARIA.

I. *Potentiæ Animæ sunt quinq; Vegetatiua, Sensitiua, Appetitiua, Locomotiua, & Intellectiua.*

II. *Ordine naturæ potentiæ Sensitiuæ sunt priores Vegetatiuis, & Sensitiuæ intellectiuis non autem ordine dignitatis.*

III. *Potentiæ Animæ suam vnitatem & distinctionem specificam desumunt ab actibus & obiectis adæquatis formaliter sumptis.*

IV. *Ab obiectis vero formalibus specificantur solum extrinsece.*

V. *Potentiæ Animæ non Organicæ Subiectantur in anima rationali, iam vero Organicæ in toto composito ex corpore & anima constituto.*

CONCLVSIO IV.

In quolibet Viuente Vna tantum Anima reperitur.

COROLLARIA.

I. *Etiam in homine Vna solum est Anima scilicet Ra- tlis.*

II *Probabile est hominem prius viuere Vita Vegetatiua, p stea Sensitiua & postmodum rationali.*

III. *Anima informat omnes partes viuentis incorpore.*

IV. In corpore viuentis datur aliquod principale membrum quod est primaria sedes Animæ.

V. Anima cum corpore constituit vnum ens per se.

Sub Felicibus Auspicijs,

Perillustris, Magnifici & Admodum Reuerendi Dñi,

D. ADAMI ROSCZEWIC,

I. V. Doctoris & Professoris, Canonici Ecclesiæ Cathedralis Crac: nec non Ecclesiæ Collegiatæ Omnium SS. Archidiaconi, extra muros ad S. Nicolaum Præpositi, ac interea Studij Almæ Academiæ Cracouiensis

GENERALIS

ac Vigilantissimi

RECTORIS.